

ad omnes insultus vitandos tolerandos-
 que consistere, sicut athletæ solent ad
 certamen, brachiis elatis & toto corpore
 præparari, nec minus animo, ne quid om-
 nino repentinum aut improuisum acci-
 dat. Magnificum prorsus & salutare con-
 siliium. Quis enim labores ac humanæ vi-
 tæ discrimina, quis casus varios enume-
 ret? Hinc fortuna sæuit, hinc blanditur,
 hinc iuuentus effundit, hinc senectus tra-
 hit, hinc morbi obsident, hinc minatur
 mors, hinc alienis & externis motibus
 quatimur, hinc intrinsicis & nostris: Su-
 perbia attollit, metus deiicit, spes suspen-
 dit, cupiditas inflammat, gaudium dila-
 tat, dolor angustat, liuor inficit, gula sol-
 licitat, accendit ira præceps, & quotidia-
 num ac blandum malum, adamantinos
 animos flectit luxuries: Quis autem in-
 ter hæc tutus, qui intrepidus nisi sit de-
 mens? Quis vnquam athleta tam pericu-
 loso se credidit duello? Illi quidem sin-
 gulis hostibus occurrunt, nos cum mille
 congregimur: Itaque non tantum athle-
 tarum more, vt vult Panetius, exerti, sed
 Romanorum Ducum, qui exercitibus
 præsunt, donec in Patriam contigerit
 peruenire, veluti iam dimicandum sit, in-